



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Art. IV. Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum?

Resp. Ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit: anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum presumat illum absolvere.*

Dicitur I. *Si quis*: intellige cuiuscunque sexus aut status, etiam impubes, dummodo rationis compos & doli capax. Extenditur autem ad efficaciter mandantes, consulentes, consentientes, suo nomine factam rati habentes, non impediētes, saltem si ex officio aut iustitia teneantur, ut Reges, iudices, & cæteri superiores. Item patres, tutores, heri, pædagogi, Parochi, &c. quibus aliorum cura demandata est. Ita *Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 5. n. 6. Bon. d. 2 q. 4. p. 1. n. 9. ex Molin. & commun.*

Dixi, *saltem, &c.* quia si ex charitate tantum teneantur, etiam excommunicati, docet *Suar. Caiet. Fill. Medin. Sayr. &c.* Verum id probabilius negat. *Bon. l. c. ex Navar. Con. Regin. Henriq. Molin. &c.*

Dicitur II. *Clericum*: quo nomine intelligitur omnis prima saltem tonsura initiatus, (etiam si conjugatus, dummodo cum unica virgine,) & deferat habitum, serviatque alicui Ecclesiæ: item etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tantum.

Dicitur III. *Monachum*: intelligi quemvis religiosum, etiam laicum, conversum, novitium, utriusque sexus: itē tertiaris S. Dominici, S. Francisci, si gestent habitum, & vivant in communitate: itē eremitas subjectos alicui regulæ, vel superiori.

Dicitur IV. *Manus injecerit*: per quod intelligitur quævis contumeliosa actio exterior mortalis, circa Clerici personam, ut res ei adherentes, si ve fiat manu, si ve baculo, gladio, &c. *Bon. d. 2. q. 4. p. 1.* Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.

I. Hanc excommunicationem incurrit. 1. Qui talem conspuat, conspergit aqua, pulvere, conspurcat luto, evellit crimen, lacerat vestem, eripit aliquid per vim & iniuriam de eius corpore, v. g. pileum, pallium, &c. ita ut actio sit gravior iniuriosa. *Bon. l. c. Lay. c. 5. n. 5.* 2. Qui concludit, aut violenter detinet carcere, vel loco, unde sine dedecore non potest exire, *ibid.* 3. Qui persequitur, ut in flumen, vel fossam incidat, equo decidat, &c. *Ibid.* 4. Qui manus violentas iniicit in equum, cui is insidet, occidendo, vulnerando, cædendo, sistendo per frenum, quæ actio licet sit levis respectu corporis, non tamen respectu honoris, *ibid.* 5. Qui aliquid supradictorum facit, etiam Clerico consentiente, dummodò sit injuriosum ordini Clericali, *Lay. l. c.* 6. Clericus, si se ipsum ex malitia vel passione (secus si ex devotione) percutiat iniuriosè *Lay. l. c. ex Nav.* 7. Qui percutit Clericum etiam meritum, si fiat, vel per quem non debet, ut si morte dignus puniatur à Judice seculari, vel modo illicito, ut si à Prælato puniatur per laicum. *Bon. l. c. ex Navar. Sayr. Suar. Fill. con. c. 1. vid. Lay. ca. 5.*

II. Non

II. Non incurrit. 1. Fur, qui clam abscindit crumenam, vel vestem tollit Clerico: quia non est actio violenta, sed fraudulenta. *Bon. l. c.* 2. Si percussio sit jocosa, vel casualis, v. g. si janitor, vel apparitor turbam arcens percutiat Clericum: item si pueri habentes primam tonsuram se pugnis percuriant. *Bon. l. ex Moll. Fill. Con. &c.* item si percussio sit ad defendendum se, vel vitam suam, vel uxoris, parentum, filiorum, vel res suas, cum modo: ramine tamen inculpa & tutelæ. *Lay. infra.* Et denique quando cunque percussio ob levitatem, vel imperfectionem actus, non esset mortalis, illa laico, ut docet *Caj. & Sa*: quod tamen *Suar.* universaliter non admittit, v. *Bon. l. c.* 4. Si fiat in tenebris, vel Clericum non agnoscas, quod habitum non gestet; quia ignorantia excusat. 5. Si Prælati, præceptor, pater, subditum in minoribus constitutum, correctionis causa (licet ita accedat) percutiat moderatè, habita ratione culpæ: imò Prælati & Præceptor Ecclesiasticus potest etiam in maioribus constitutum castigare. An idem possit pater, controversatur in utramque partem probabiliter v. *Lay. loco mox citando* 6. Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus; vel exerceat publicè officium cauponis, vel macellarii, vel scurræ, & ter monitus non cesset; vel inventus turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filia; vel denique mulierem ipso facto sollicitans ad turpitudinem: quia perdit privilegium. v. *Lay. l. 1. t. 5. p. 2. c. 5. Fill. l. 15. ca. 1.*

Resp. II. Etsi hæc excommunicatio sit reservata Papæ potest tamen Episcopus ab ea absolvere

Mm 5 his

his casibus: 1. Quando percussio, et si sit mortalis, est tamen prudentum iudicio levis, comparata cum enormi, v.g. si fiat palma, pugno, aut lapide, non relincente vestigium: & secundum *Anton.* & *Dian. p. 9. t. 4. R. 19.* nisi notabilem injuriam, & magnum scandalum pariat, qualem negat esse, si quis Sacerdotem pugno percutiat in faciem, licet guttæ sanguinis effluant. Enormis verò erit si membrum præscindatur, copiosus sanguis fundatur; vel etiam ratione dignitatis personæ, ut si percutiatur Episcopus, vel Abbas, etiam alapa.

2. Si percussor sit impubes, pauper, æger, senex, mulier, cæcus, claudus, servus, filiusfamilias vel non sui juris: uti & regulares ac moniales invicem verberantes; item si sint homines delicati, & quotquot habent legitimum impedimentum, ut non possint ire ad Papam, aut eius legatum; vel si dubium sit de excommunicatione, *Fill. l. 15. c. 1. n. 35. & sequent.* Denique si sit occulta, v. *supra hic c. 1. d. 5. & Dian. p. 9. t. 4. R. 63* In quibus omnibus casibus pro foro conscientiæ potest etiam facultas absolvendi impetrari (gratis quidem) ex Pœnitentiaria Romæna à Maiore Pœ-

nitentiario, ut v. *supra his*

*l. 1. t. 2. c. 1. in ap-
pend.*

☉

ARTL.